



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum Deus de necessitate velit quicquid vult.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

Ira nominatur. Et simili mō loquendi illa, quę solent esse signa voluntatis apud nos, Dei voluntates appellantur. Et pro tanto dī voluntas signi: quia ipsū signum, quod solet esse voluntatis, voluntas appellatur. Cum autem voluntas possit designari, & secundum quod proponit de agendis, & secundum quod impetum facit ad opus, utroque mō voluntati aliqua signa attribuuntur. Secundum enim quod proponit de agendis quantum ad futuram mali, est signum eius prohibitio. Quantum autem ad prosecutionem boni est duplex signum voluntatis, nam respectu boni necessarii sine quo non potest voluntas finem suum consequi, est signum voluntatis præceptum. Respectu autē boni utilis, quo faciliori mō & conuenientiori acquiritur finis, est signum voluntatis consilium. Sed secundum quod voluntas impetum facit ad opus, attribuitur ei duplex signum. Vnum expressum quod est operatio, quod. n. quis operatur, indicat se expresse velle. Aliud vero est signum interpretatiuum s. permissio. Qui enim non prohibet aliquid quod impedire potest, interpretatiue vñ consentire in illud, hoc autem nomen permissionis importat.

Ad PRIMVM ergo dicendum, q̄ Deus, quamuis sit omnia potens & omnia sciens, non tamen omnia volens. Et ideo præter signa in creaturis inuenta, quib. ostenditur quod est sciens & potens & volens, voluntati assignantur quedam signa, vt ostendatur quid Deus velit & non solum quod est volens. Vel dicendum quod scientia & potentia non habent ita adiunctum modum passionis, sicut voluntas, prout in nobis inuenitur. Et ideo voluntas magis appropinquat ad illa, quę metaphorice dicuntur de Deo, quam potentia, vel scientia, & ideo signa voluntatis magis dicimus voluntatem metaphorice loquendo, quam signa scientię, & potentię, scientiam & potentiam.

Ad II. Dicendum, q̄ quamuis Deus non velit omne quod præcipit, vel permittit, vult tamen aliquid circa hoc. Vult enim omnes esse debitores eius, quod præcipit & ipotestate nostra esse id quod permittit, & hanc voluntatem diuinam præceptum & permissio significat. Vel potest dici quod voluntas signi, non pro tanto dī, quia significet Deum velle illud: sed quia id quod solet esse signum voluntatis apud nos, voluntas nominatur, non autē oportet, vt id quod solet esse alicuius rei signum, sit falsum quando ei non respondet id quod solet significare, nisi tunc tantum quando ad significandum illud adhibetur. Quamuis ergo præcipere in nobis sit signum uolendi illud, non tamen quando documque præcipit aliquid, vel Deus vel homo, oportet quod significet se velle illud esse. Vñ non sequit. q̄ sit signum falsum. Et inde est q̄ in actib. non semper est mendacium, quando cumque aliqua actio agitur per q̄ solet aliquid significari, si illud non subsistit, sed in verbo si non subsistit illud, qd̄ significat de necessitate, est falsitas: quia s. verba ad hoc sunt instituta, vt sint signa. vnde si non respondet eis signatum, est ibi falsitas, actiones autē non sunt ad hoc instituta, vt significant: sed vt aliquid per eas fiat: accidit autem quod per eas aliquid significetur. Et ideo non semper est falsitas in eis, si signatum non respondet, sed tunc tantum quando ad significandum applicantur ab agente.

Ad III. Dicendum, q̄ voluntas signi non est in Deo, sed a Deo: est enim aliquis Dei effectus talis, qualis solet apud nos voluntas hominis designari.

Ad IIII. Dicendum, q̄ voluntas Dei, quamuis

nō sit respectu mali ut fiat: est tamen respectu eius, ut impediatur prohibendo, vel in potestate nostra constituitur permittendo.

Ad V. Dicendum, quod cum omne, in quod voluntas tendit, habeat ordinem ad finem, qui est uolendi omnia, mala autem careant ordine ad finem, omnia mala unum tenent locum sicut respectu finis, ita & respectu voluntatis diuinę: sed bona que ordinantur in finem, secundum diuersum ordinem, quem habent ad finem, diuersimode ad ea se habet voluntas, & pp hoc sunt diuersa signa de bono & meliori, non autem de malo & peiori.

Ad VI. Dicendum, quod voluntas signi non distinguitur contra voluntatem beneplaciti: per hoc quod est impleri, & non impleri. Vnde quantum uoluntas beneplaciti semper impletur, potest tamen ad uoluntatem signi aliquid pertinere, quod non impletur. vnde ea que Deus præcipit, vel cōtinet, que uult uoluntate beneplaciti. Distinguit autē uoluntas signi a uoluntate beneplaciti: quia uult ipse Deus, aliud est effectus eius, ut iam dictum est. Et sciendum est, quod voluntas signi tribus modis se habet a uoluntate beneplaciti, quedam enim est uoluntas signi, que nunquam incidit in idem cum uoluntate beneplaciti, sicut permissio qua permittit mala fieri, cum mala fieri nunquam uelit. Quedam enim semper in idem incidit, sicut operatio. Quedam uero quandoque incidit & quę non, sicut præceptum, prohibitio, & consilium. Et per hoc patet solutio ad ultimum.

ARTICVLVS III.

Utrum Deus de necessitate uelit quecumque uult.

Quarto quaeritur, utrum Deus de necessitate uelit quicquid uult. Et uideatur quod sic. Oportet enim eternum esse necessarium: sed Deus ab eterno uult quicquid uult. ergo de necessitate uult quicquid uult. Sed dicendum, quod uelle Dei est necessarium & eternum ex parte uoluntatis, que est diuina essentia, & ex parte eius quod est ratio uolendi quod est diuina bonitas, non autem quantum ad respectum uoluntatis ad uolentem.

¶ 2 Sed contra, Hoc ipsum quod est Deum uelle aliquid, importat habitudinem uoluntatis ad uolentem: sed hoc ipsum quod est Deum uelle aliquid, est eternum, ergo ipsa habitudo uoluntatis ad uolentem est eterna, & necessaria. Sed dicendum, quod habitudo ad uolentem est eterna & necessaria, sed uolentem quod uolentem est in ratione exemplari: non autem secundum quod est in seipso, sicut in propria natura.

¶ 3 Sed contra, Secundum hoc aliquid est uolentem quod ad ipsum refertur uoluntas. si ergo ab eterno non refertur uoluntas Dei ad uolentem, secundum quod est in seipso, sed secundum quod est in ratione uolendi exemplari, tunc aliquid temporale, ut pote Petrum saluari, non esset ab eterno uolentem a Deo, ut. in propria natura esset: sed solummodo ab eterno esset a Deo uolentem, vt esset in rationibus eternis, quod patet esse falsum.

¶ 4 Præter. Quicquid Deus uoluit vel uult, postquam uult illud vel uoluit, non potest illud non uelle, vel non uoluisse: sed quicquid Deus uult, nunquam non uoluit eo quod semper, & ab eterno uoluit quicquid uult. ergo Deus non potest non uelle quicquid uult. ergo de necessitate uult quicquid uult. Sed diceretur, quod ista procedit, secundum q̄ uelle Dei consistit

tur quantum ad ipsum volentem, vel actum, vel rationem volendi, non autem quantum ad habitudinem, qua refertur ad volitum.

¶ 5 Sed contra, Creare est actus semper importans respectum ad effectum, connotat enim effectum temporalem: sed ratio ista verificatur de creatione si supponeretur Deum semper creasse, quod quia creavit aliquid, non potest non creasse, ergo de necessitate sequitur quod quod habet respectum ad volitum.

¶ 6 Præ. Deo idem est esse quod velle; sed Deum necesse est esse omne quod est; quia in ppteris non differt esse & posse secundum Phil. in 3. Phyl. ergo & Deum necesse est velle omne quod vult. Sed dicendum, quod quamvis velle & esse sint idem secundum rem, tamen differunt secundum modum significandi: quia velle significatur per modum actus, qui transit in alterum.

¶ 7 Sed contra, Esse etiam Dei quamvis sit idem quod essentia secundum rem, differunt tamen secundum modum significandi: quia esse significat per modum actus, ergo quantum ad hoc non est differentia inter esse & velle.

¶ 8 Præ. Aternitas repugnat successioni: sed velle diuinum aternitate mensuratur, ergo non potest ibi esse successio: esset autem successio si quod ab aeterno voluit, non vellet; aut si non quod voluit, vellet, ergo impossibile est cum velle quod non voluit, vel non velle quod voluit: ergo quicquid vult, de necessitate vult, & quicquid non vult, de necessitate non vult.

¶ 9 Præ. Quicumque voluit aliquid necessarium impossibile est cum non voluisse illud: quia quod factum est, non potest non fuisse: sed in Deo idem est velle & voluisse, quia actus voluntatis eius non est nouus sed aternus, ergo Deus non potest non velle quod vult, & sic de necessitate vult quod vult. Sed dicendum, quod vult de necessitate, quantum ad rationem volendi, non autem quantum ad ipsum volitum.

¶ 10 Sed contra, Ratio volendi Deo est ipsemet, qui a seipso vult quicquid vult: si ergo seipsum de necessitate vult, & omnia alia de necessitate vellet.

¶ 11 Præ. Ratio volendi est finis, finis autem secundum Phil. in 2. Phyl. & in 7. Eth. ita se habet in appetitiuis & operatiuis sicut principium in demonstratiuis; sed in demonstratiuis si principia sunt necessaria, sequitur conclusio necessaria, ergo & in appetitiuis si aliquis vult finem, vellet ea de necessitate, quae sunt ad finem; & ita si velle diuinum est necessarium quantum ad rationem volendi, erit necessarium per comparationem ad volita.

¶ 12 Præ. Quicumque potest velle aliquid & non velle, potest incipere velle illud: sed Deus non potest incipere velle aliquid, ergo non potest aliquid velle & non velle, & ita de necessitate vult quicquid vult.

¶ 13 Præ. Sicut Dei voluntas importat respectum ad creaturas, ita & potentia & scientia: sed necessarium est Deum posse quicquid potest, & necessarium est eum scire quicquid scit, ergo necessarium est eum velle quicquid vult.

¶ 14 Præ. Illud quod semper eodem modo se habet, est necessarium: sed respectus diuinæ voluntatis ad volita semper est eodem modo se habens, ergo est necessarius, & ita velle diuinum quantum ad habitudinem ad substantiam voliti est necessarium.

¶ 15 Præ. Si Deus vult Antichristum fore, de necessitate sequitur Antichristum fore, quia Antichristum fore non sit necessarium: hoc autem non esset nisi esset necessarius respectus siue necessaria habitudo di-

uinae voluntatis ad volitum, ergo ipsum velle diuinum secundum quod importat respectum voluntatis ad volitum est necessarium.

¶ 16 Præ. Ordo diuinæ voluntatis ad rationem volendi est causa ordinis diuinæ voluntatis ad volitum, voluntas enim in aliquid volitum fertur per rationem volendi; inter utramque autem ordinem non cadit aliquid contingens medium: posita autem causa necessaria sequitur effectus necessarius nisi intercedat media causa contingens, ergo cum velle diuinum sit necessarium in ordine ad rationem volendi, erit necessarium in ordine ad rationem volendi, & ita Deus de necessitate vult quicquid vult.

Sed contra, Voluntas Dei magis est libera, quam voluntas nostra: sed voluntas nostra non de necessitate vult, quod vult, ergo nec voluntas Dei.

¶ 2 Præ. Necessitas opponitur gratitudo voluntati: sed Deus vult salutem hominum, ex gratuita voluntate, ergo non vult ex necessitate.

¶ 3 Præ. Cum nihil extrinsecum a Deo, possit Deo necessitatem imponere, si aliquid ex necessitate vellet, non vellet illud nisi ex necessitate suæ naturæ, ergo idem sequeretur ex hoc quod ponitur Deum agere ex voluntate, & ex hoc quod ponitur ex necessitate naturæ: sed ponentibus Deum agere ex necessitate naturæ, sequitur omnia ab eo facta fuisse, ergo idem sequitur nobis ponentibus, eum ex voluntate omnia facere.

RESPON. Dicendum, quod diuinum velle necessitatem habere ex parte ipsius volentis, & actus indubitabiliter verum est, nam actio Dei est eius essentia, quam constat esse aternam. Vnde hoc in questione non ponitur, sed utrum velle ipsum necessitatem habeat per comparationem ad volitum, quæ quidem comparatio intelligitur, cum dicimus Deum velle hoc vel illud, hoc enim queritur, cum querimus, utrum Deus de necessitate aliquid velit. Sciendum est igitur, quod cuius cuiuslibet voluntatis est duplex volitum. Vnum quidem principale, & aliud quæ secundarium, principale quidem volitum est, in quo voluntas fertur secundum suam naturam, eo quod ipsa voluntas natura quædam est & naturalem ordinem ad aliquid habet, hoc autem est, quod naturaliter voluntas vult: sicut humana voluntas naturaliter appetit beatitudinem, & respectu huius voliti voluntas necessitatem habet, cum in ipsum tendat per modum naturæ, & non potest homo velle non esse beatus, aut esse miser. Secundaria vero volita sunt, quæ ad hoc principale volitum ordinantur sicut in finem. Et ad hæc duo volita hoc modo se habet voluntas diuersimode, sicut intellectus ad principia, quæ naturaliter nouit & ad conclusiones quas ex eis elicit. Voluntas igitur diuina habet pro principali volito id, quod naturaliter vult, & quod est quasi finis voluntatis sue, id ipsa bonitas sua, per quam vult quicquid aliud a se vult, vultque creaturas propter suam bonitatem, ut Aug. dicit, ut videlicet sua bonitas, quæ per essentiam multiplicari non potest, saltem per quædam similitudinis participationem diffundatur ad multa. Vnde ea, quæ circa creaturas vult, sunt quasi eius volita secundaria, quæ propter suam bonitatem vult, ut diuina bonitas sit eius volitum rationem volendi omnia, sicut sua essentia est ei ratio cognoscendi omnia. Respectu igitur illius principalis voliti, quod est sua bonitas, voluntas diuina necessitatem habet, non quidem coactionis, sed naturalis ordinis, quod libertati non repugnat secundum Aug. in 5. de Ciuitate Dei. non enim potest Deus velle se non esse bonum, & per consequens se non esse intelligentem,

63. 10. 2.

10. 10. 2.

10. 10. 2.

10. 10. 2.

10. 10. 2.

10. 10. 2.

10. 10. 2.

10. 10. 2.

igentem, vel potentem, vel quodcumque corū, que ratio eius bonitatis includit: sed respectu nullius alterius uoliti necessitatem habet. Cum enim ratio uolendi his, que sunt ad finem, sit ipse finis, secundum hoc quod id, quod est ad finem, comparatur ad finem, sicut hoc comparatur ad uoluntatem. Vnde si quod est ad finem sit quasi finis proportionatum hoc modo, si quod finem perfecte includat, & sine eo finis haberi non possit, sicut de necessitate appetit finis, ita de necessitate appetitur id quod est ad finem, & precipue a uoluntate, quod sapientie regulam exire non potest. Eiusdem rationis videtur desiderare vite continuationem, & nutrimenti sumptionem, quo vita conseruatur, & sine quo vita conseruari non potest: sed sicut nullus effectus diuinæ potentiam cause adequat, ita nihil, quod in Deum sicut in finem, ordinatur est fini adequatum, nulla enim creatura perfecte Deo assimilatur, hoc enim est solius uerbi increati. Vnde contingit, quod quantumcumque nobiliori modo aliqua creatura pura in Deum ordinatur aliquo modo ei assimilata, possibile sit aliquam aliam creaturam modo æque nobili ipsam Deum ordinari, & diuinam bonitatem representare. Vnde patet quod non est necessitas diuinæ uoluntatis ex amore, quem habet ad suam bonitatem quod uelit hoc, vel illud circa creaturam, nec inest ei aliqua necessitas respectu totius creaturæ, eo quod diuina bonitas in se perfecta est, etiam si nulla creatura existeret; quia bonorum nostrorum non eget, ut in psal. 15. dicitur. Non enim diuina bonitas est talis finis, qui efficiatur ex his que sunt ad finem: sed magis quo efficiuntur & perficiuntur ea, que ad ipsum ordinantur. Vnde Auicenna dicit quod solius actio Dei est pure liberalis, quia nihil sibi accrescit ex his, que uult, uel operatur circa creaturam, patet igitur ex dictis, quod quicquid Deus uult in seipso, de necessitate uult: quod autem uult circa creaturam, non de necessitate uult.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod aliquid dicitur necessarium dupliciter, uno modo absolute. Alio modo ex suppositione absolute quidem dicitur aliquid necessarium propter necessariam habitudinem adinuicem terminorum, qui in aliqua propositione ponuntur, sicut hominem esse animal, uel omne totum esse maius sua parte, aut aliqua huiusmodi, necessarium uero ex suppositione est quod non est necessarium ex se, sed solummodo posito alio, sicut Socratem cucurrisse. Socrates enim quod est de se, non se habet magis ad hoc, quam ad huius oppositum, sed acta suppositione, quod cucurritur impossibile est eum non cucurrisse. Sic igitur dico, quod Deum uelle aliquid in creaturis, ut pote petrum saluari, non est necessarium absolute, eo quod uoluntas diuina non habet ad hoc necessarium ordinem, ut ex dictis patet, sed facta suppositione, quod Deus illud uelit, uel uoluerit, impossibile est eum non uoluisse uel non uelle, eo quod uoluntas eius immutabilis est. Vnde huiusmodi necessitas apud theologos uocatur necessitas immutabilitatis. Quod autem non sit necessarium absolute Deum uelle, hoc est ex parte uoliti, quod deficit a perfecta proportionatione in finem, ut dictum est. Et quantum ad hoc uerificatur responsio prius posita, & eodem modo distinguendum est de eterno, sicut de necessario.

AD II. Dicendum, quod illa habitudo importata est necessaria & æterna ex suppositione, non autem absolute, & non solum sicut quod terminatur ad uoluntatem, prout est exemplariter in ratio-

ne uolendi: sed prout est equaliter in propria natura. Vnde tertium concedimus.

AD III. Dicendum, quod Deum uelle aliquid uel uoluisse postquam uult, uel uoluit, est necessarium ex suppositione, non autem absolute; sicut de Socratem cucurrisse, postquam cucurrit, & similiter est de creatione & de quolibet actu diuinæ uoluntatis, qui terminatur ad aliquid exterius.

Vnde quintum concedimus.

AD VI. dicendum, quod quamuis ipsum esse diuinum sit in se necessarium, non tamen creaturæ exeunt a Deo per necessitatem: sed per liberam uoluntatem. Et ideo illa que importat coparationem Dei ad exitum creaturatum in esse, ut uelle, creare, & huiusmodi, non sunt necessaria absolute, sicut illa que de Deo secundum se ipsum dicuntur, ut esse bonum, uiuentem, sapientem, & alia huiusmodi.

AD VII. Dicendum, quod esse non dicitur ad se, quod sit operatio transiens in aliquid extrinsecum equaliter producendum: sed actum quali primus. Uel eadem dicitur actum sicut qui est operatio, & dicitur ex diuerso modo significandi: aliquid attribuitur diuino esse, quod non attribuitur diuino uelle.

AD VIII. Dicendum, quod successio non importatur, si dicimus Deum posse uelle aliquid, & non uelle, nisi intelligatur hoc modo, quod supposito ipsum uelle aliquid, ponatur ipsum postea non uelle illud: sed hoc excluditur per hoc, quod ponitur Deum uelle aliquid esse necessarium ex suppositione.

AD IX. Dicendum, quod Deum uoluisse illud, quod uoluit est ex suppositione; non autem absolute, & similiter Deum uelle illud, quod uult.

AD X. Dicendum, quod quauis Deus ex necessitate uelit se esse: non tamen sequitur quod alia ex necessitate uelit non enim dicitur aliquid esse necessarium ex conditione finis, nisi quando est tale, sine quo finis haberi non potest: patet in Metaphysicis. hoc autem in proposito non accidit.

AD XI. dicendum, quod syllogismus, si principium sit necessarium, non sequitur conclusio necessaria, nisi sit necessaria habendo principium ad conclusionem. Et ita quantumcumque finis sit necessarius, nisi id quod est ad finem, habeat necessarium habitudinem ad ipsum, ut sine quo finis esse non possit, nulla erit necessitas ex fine in eo quod est ad finem: sicut & si principia possint esse uera conclusionem existente falsa propter defectum necessarii habitudinis, non sequitur ex necessitate principiorum conclusionis necessitas.

AD XII. Dicendum, quod quicquid potest uelle, & non uelle, si possit uelle postquam uoluit, & non uelle postquam uoluit, potest incipere uelle, si non potest definire uelle & iterum incipere uelle. Si autem non uult, potest statim incipere uelle. Sic autem Deus non potest uelle, & non uelle propter immutabilitatem diuinæ uoluntatis, sed potest uelle & non uelle in quantum uoluntas sua non obligatur quantum est de se ad hoc, quod uelit, unde remanet quod Deum uelle aliquid est necessarium ex suppositione: non autem absolute.

AD XIII. Dicendum, quod scientia & potentia, quibus importent respectum ad creaturas, tamen pertinent ad ipsam perfectionem diuinæ essentia, in qua nihil potest esse, nisi per se necessarium. Secundum hoc modo dicitur aliquis esse sciens, quod res scita dicitur esse sciente: dicitur autem esse potens ad aliquid agendum, secundum quod est in actu completo respectu eius quod agendum est. Quicquid autem est in Deo, necesse est ei esse, & quod dicitur Deo est actu, necesse est ei esse actu.

li. 8. met. ca. 2. a. mcd.
In corp. ar.
In corp.
In corp. art.

actu. Cum vero dicitur Deum uelle aliquid, non significatur illud aliquid inesse Deo: sed tantummodo importatur ordo ipsius Dei ad illius defectionem in propria natura, & ideo ex hac parte deficit conditio absolutae necessitatis, ut dictum est prius.

AD XIII. Dicendum, quod respectus ille semper uno modo se habet propter immutabilitatem diuinae uoluntatis. Vnde ratio non concludit, nisi de necessitate, quae est ex suppositione.

AD XV. Dicendum, quod uoluntas ad uolitum habet duplicem respectum: primum quidem habet ad ipsum in quantum est uolitum; secundum uero habet ad idem, in quantum est producendum in actu per uoluntatem, & hic quidem respectus presupponit primum. Primum enim intelligimus uoluntatem uelle aliquid, deinde ex hoc ipso, quod uult illud, intelligimus, quod producat ipsum in rerum natura, si uoluntas sit efficax. Primus ergo respectus diuinae uoluntatis ad uolitum, non est necessarius absolute propter improprietatem uoliti ad finem, qui est ratio uolendi, ut dictum est. Vnde non est necessarium absolute, quod Deus uelit illud. Sed secundus respectus est necessarius propter efficaciam diuinae uoluntatis, & ex inde est quod de necessitate sequitur, si Deus uult aliquid uoluntate beneplaciti, quod illud fiat.

AD XVI. Dicendum, quod quamuis inter illos duos ordines, quos obiectio tangit non cadat aliqua causa contingens mediatam propter defectum proportionis primi ordinis, non inducit in secundum ordinem necessitatem, ut ex dictis patet.

QUOD autem in contrarium obicitur de libertate uoluntatis, iam solutum est per hoc, quod necessitas naturalis ordinis libertati non repugnat: sed sola necessitas coactionis. alia uero concedimus.

ARTICVLVS V.

Utrum diuina uoluntas rebus uolitis necessitatem imponat.

QVINTO quaeritur, utrum diuina uoluntas rebus uolitis necessitatem imponat. Et uidetur quod sic. Posita enim causa sufficienti, necesse est effectum poni, quod sic probat Auic. in sua Meta. si enim posita causa non necessario effectus ponitur, ergo adhuc post positionem causa, effectus se habet ad utrumque. scilicet ad esse & non esse: sed quod est impotentia ad duo non determinatur ad unum eorum, nisi sit aliquid determinans. ergo post positionem cause, adhuc oportet ponere aliquid quod faciat effectum esse: & ita causa illa non erat sufficientis, & ita oportet quod ea posita, necessarium sit effectum poni, diuina autem uoluntas sufficientis causa est, & non est causa contingens; sed necessaria. ergo & res uolite a Deo sunt necessarie. Sed dicendum, quod ex causa necessaria sequitur quandoque effectus contingens propter contingentiam mediae cause, sicut ex maiori suppositione de necessario, propter assumptionem de contingenti, sequitur conclusio contingens. ¶ 2 Sed contra, Quandoquumque ex causa necessaria sequitur effectus contingens propter contingentiam cause secunde, hoc prouenit ex defectu cause secunde: sicut floritio arborum est contingens, & non necessaria propter defectum uirtutis pullulatiue, quae potest accidere quae est causa media, quamuis motus solis qui est causa prima, sit causa necessaria: sed omnem defectum cause secunde potest diuina uoluntas remouere, & omne impedimentum. ergo

A contingentia cause secunde non impedit, quin effectus sit necessarius propter necessitatem uoluntatis diuinae.

¶ 3 Prae. Quando effectus est contingens propter contingentiam causa secunda, prima causa necessaria existente, non esse effectus potest simul stare cum esse prime cause: sicut arborem non florere in uere potest stare cum motu solis; sed eius non esse, quod est uolitum a Deo, non potest stare cum diuina uoluntate. Hac. n. duo sunt inconpossibilia, quod Deus uelit aliquid esse & illud non sit. ergo contingentia causarum secundarum non impedit, quin uolita a Deo sint necessaria propter necessitatem diuinae uoluntatis. Sed dicendum, quod non esse effectus, quamuis non possit stare cum uoluntate diuina: tamen quia causa secunda potest deficere, ipse effectus est contingens.

¶ 4 Sed contra, Effectus non deficit nisi causa secunda deficiente; sed non potest esse, quod causa secunda deficiat uoluntate diuina existente. sic. n. simul esset diuina uoluntas, & non esse eius quod est uolitum a Deo, quod patet esse falsum. ergo contingentia causarum secundarum non impedit, quin effectus diuinae uoluntatis sit necessarius.

SED CONTRA, omnia bona sunt Deo uolente. si ergo uoluntas diuina necessitatem rebus imponit, omnia bona, quae sunt in mundo, erunt ex necessitate: & ita tolletur liberum arbitrium, & aliae cause contingentes.

RESPON. Dicendum, quod uoluntas diuina non imponit necessitatem rebus omnibus. Cuius quidam ratio assignatur a quibusdam ex hoc, quod cum uoluntas sit rerum omnium prima causa producit quosdam effectus mediantibus causis secundis, quae contingentes sunt & deficere possunt; & ideo effectus contingentiam cause proxime sequitur, non autem necessitatem cause prime. Sed hoc uult esse consonum his, qui ponebant a Deo omnia procedere secundum necessitatem naturae, ut quod ab uno simplici procedebat immediate unum habens aliquam multitudinem, & illo mediante procedit multitudo. Similiter ab uno omnino immobili dicunt procedere aliquid, quod est immobile secundum substantiam, mobile autem & aliter se habens secundum situm, quo mediante generatio, & corruptio in istis inferioribus accidit, secundum quam uiam non posset poni a Deo immediate causari multitudinem, & res corruptibiles & contingentes, quod est sane fidei contrarium, quae ponit multitudinem rerum corruptibilium immediate a Deo causari, ut potest prima indiuidua arborum, & brutorum animalium. Et ideo oportet aliam principalem rationem assignare contingentiae in rebus. cui causa praesignata subferuiat. Oportet enim patiens assimilari agentis, & si agens sit fortissimum, erit similitudo effectus ad causam agentem perfecta: si autem agens sit debile, erit similitudo imperfecta: sicut propter fortitudinem uirtutis formatiue in semine filius assimilatur patri, non solum in natura speciei, sed in multis aliis accidentibus: e contrario uero propter debilitatem praedictae uirtutis annihilatur praedicta assimilatio, ut dicitur in lib. de Animalibus. Voluntas autem diuina est agens fortissimum. Vnde oportet eius effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solum fiat id quod Deus uult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem, sed ut fiat eo modo, quo Deus uult illud fieri, ut necessario, uel contingenter, cito uel tarde, quod est quasi quaedam assimilatio secundum accidentia. Et hunc quidem modum rebus diuina uoluntas praefigit